DE
CARCINOMATE UTERI.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXIX. M. JANUARII A. MDCCCXLII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

GUILELMUS SCHRADER
QUEDLINBURGENSIS.

OPPONENTIBUS:
C. FRICK, med. et chir. Dd.
A. FOCKE, med. et chir. Dd.
H. SAATZ, med. et chir. Dd.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VULT

AUCTOR.

DE CARCINOMATE UTERI.

Priusquam de uteri carcinomate disseramus, nonnulla de natura et structura carcinomatis generalia licet afferre.

Ac primum quidem notandum nobis est, scirrhum et carcinoma nihil esse, nisi ejusdem morbi stadia diversa. Quae sententia a viris doctissimis nuperrime proposita et eorundem studio ac diligentia valde confirmata est. Nam veteres, auxilio anatomes pathologicae et microscopii usu carentes, multa ac varia ratione naturam hujus perniciosissimi morbi definierunt: Hippocrates eundem atrae bilis effectum nominavit, quem Galenus, Celsus, Aretaeus, et ex nostratibus Lieutaud secuti sunt; alii et prae ceteris Crawford scirrhum putrefactionem esse dixerunt, alii cum Huntero ejusdem originem ex hydatide quadam declararunt; alii denique uti Broussais, Brechet, Ferus, Wenzel eum inflammationis chronicae exitum putarunt. Quam sententiam jam Gendrin gravissimis reprobavit argumentis. Nam ejus demonstrationes ostenderunt, scirrhi et inflam-

mationis signa valde inter se differre, scirrho inflammationem non antecedere: nec casus, nec commutationes, quae comitentur scirrhum, ex inflammatione quadam explicari prorsus posse; porro scirrhum et inflammationem nullo modo ex iisdem causis originem ducere; et scirrhi telam esse peculiarem, cujus formatio ex malo nutritu, itaque vegetatione mutata haud dubie deducenda sit, et praeterea substantiam scirrhosam seu cancrosam in omnibus corporis partibus eandem esse, inflammationis autem formationes secundum organa et telas inflammatas maxime a se distare. Cum igitur hae de natura scirrhi opiniones comprobari non possint, nostratium permulti operam in hac re posuerunt, et praeter ceteros excellit J. Mueller noster, qui et naturam et structuram scirrhi assidue perscrutatus est. Nominat autem ille carcinoma tumorem proprii generis, magna vi crescendi instructum, qui totum destruat organismum, ita ut seu a corporis constitutione pendeat, seu constitutionem peculiarem proferat, post exstirpationem eadem vel alia carcinomatis forma non solum in loco jam prius affecto, sed in alio quoque renascatur.

Variae exsistunt carcinomatis species, quibus non est eadem structura neque durities. Aliae enim constant ex cellulis rotundis, aliae ex corporibus fusiformibus, aliae ex fibris; idcirco neque sunt telae organismo alienae. Qualescunque autem sint hae species, habent tamen omnes unam eandemque indolem, quae posita est in earum viribus internis atque in modo vegetationis. Omnes enim sine mora sese emolliunt ex centro, et raro tantummodo ex ambitu. Exsistunt autem nonnulla si-

gna, quae per se quidem levia, tamen primo adspectu ostendunt nobis carcinoma, ex quibus hoc loco pigmentum nigrum carcinomatis melanodis commemoro. Imprimis vero cognoscimus carcinoma ex conjunctione ejus cum partibus adjacentibus. Namque carcinoma solum efficit, ut omnes telae, seu musculosae, seu glandulosae, seu cellulosae, in massam cancrosam mutentur, earumque discrimina tollantur, et ita tumor immobilis fiat.

Secundum perscrutationes Muelleri hae carcinomatum species discernendae sunt:

1) Carcinoma simplex (scirrhus, carcinoma fibrosum) non pertinet ad telam certam, plerumque reperitur in labiis oris, in ventriculo atque utero, rarissime autem in mamma atque in ossibus. Cognoscitur ex tumore duro, haud laevi, irregulariter definito, neque ambitu magno praedito, neque membrana propria circumvoluto. Qui quidem tumor continet stroma ex fibris albidis, neque ex ligamentis compositum, et massam granulosam, griseam, in stroma injectam atque facile abjiciendam, formatamque ex cellulis nucleo instructis. Carcinomate per duos vel tres annos perdurante secernitur liquor aut turbidus aut pellucidus, qui cellulas separat, posteaque resolvit; tum inflammatione exorta, quae initio omnino deerat, et tumore aperto effunditur massa pultacea et ichorosa, quae cellulis carcinomatis elementariis repleta est. Vasa sanguifera quoque in tumore inveniuntur.

2) Carcinoma reticulare praecipue obtinet mammam, rarius hepar, cor et orbitam; tumor est aut mollior, aut durior et magnus et lobatus, cui inest massa illa

grisea, stromati imposita, et praeterea peculiaris substantia alba, vel ex flavo albida, atque reticulata, quae constat ex corporibus albis, impellucidis, granulatis, irregulariter formatis et conglobatis, vario autem modo in substantia grisea distributis. Quae substantia reticulata in dies crescit, denique liquor secretus effunditur, qui cum cellulis elementariis et substantia reticulata commixtus est.

3) Carcinoma alveolare (Cancer gelatiniforme et alvéolaire, Laennec et Cruveilhier) plerumque occupat ventriculum, peritonaeum et omentum, et ex particulis parvis exortum eximiam nanciscitur magnitudinem. Compositum autem est ex cellulis, quibus iterum insunt cellulae, ita ut facies incisione facta favo similis appareat. Repletae sunt cellulae substantia gelatinosa ac vitrea et pellucida, quam ob causam carcinoma ipsum pelluciditatem ab initio usque ad finem conservat. Sensim inaequalis et gibbosa superficies emollitur, donec gelatina in cellulis contenta projicitur, Quae species haud raro cum aliis conjuncta reperitur.

4) Carcinoma medullare (fungus medullaris, haematodes, sarcoma medullare, Spongoid inflammation, John Bruns) in omnibus corporis partibus, prae ceteris in oculo atque orbita oriri potest. Ad ejus naturam pertinet tumor magnus, lobatus, inaequalis, nequaquam durus, qui complectitur substantiam mollem, non cellulosam, facile dirumpendam, aut cerebro, aut lieni, aut placentae similem et vario modo coloratam, modo rubram, fuscam, lividam, modo ex flavo albidam propter sanguinis extravasationem, seu magnam vasorum copiam.

Quamquam hic quoque nonnunquam inveniuntur cellulae, uti in aliis carcinomatis speciebus, tamen facile carcinoma medullare ab iis potest distingui ob mollitiem et liquorem lacteum quendam, jam a Wardrop descriptum, et ob stroma deficiens. Alia hujus generis carcinomata referta sunt aut granulis subrotundis et fusiformibus, aut fibris ex corporibus illis fusiformibus compositis. Nec solum in adultis, sed etiam in pueris et qualibet vitae aetate invenimus hanc perniciosissimam speciem, quae cultro sumta facillime et celerrime renata homines semper necat. Si dehiscit, quod plerumque fit, massa decomposita sanguinolenta effunditur.

5) Carcinoma melanodes tumor lobatus, cujus fundamentum est stroma fibratum. Complectitur incoloratas cellulas fusiformes, et praeter eas melanoticas, initio fuscas, postea autem nigrescentes. Semper destruit hoc carcinoma organismum, quum post aliquod tempus interne emollitum dehiscat et ichora melanoticum emittat. Invenitur in oculo atque in orbita, item in cerebro, renibus, hepate, pulmonibus, ossibus et cute.

6) Carcinoma fasciculatum s. hyalinum raro tantummodo reperitur. In hoc stromatis fibrae tenues ac pellucidae, vasis sanguiferis stipatae et ex uno eodemque loco exeuntes, superficiem petunt, ita ut cirrum forment.

Ad omnes has carcinomatum species accedit etiam cachexia quaedam carcinomatosa, ex qua magna differentia inflammationis et carcinomatis clarius dilucidatur. Quae quidem cachexia nunquam conjuncta est cum

phlogosi, et vel ab initio vel in morbi decursu carcinoma comitatur. Quod autem attinet ad ejus signa, consistunt in totius corporis macie, mollitie et laxitate fibrarum, imprimis musculorum, oedemate extremitatum, peculiari cutis colore, qui plumbeus, stramineus, cereus fit, et febri hectica, omniumque functionum suppressione. Arctissime cum malo topico cohaeret cachexia, eodem modo augetur, quo illud crescit et ad summum pervenit gradum, si carcinoma est in stadio exulcerativo, aut si in diversis corporis partibus carcinomata luxuriantur. Denique sanguinis etiam quantitas diminuitur et qualitas mutatur, evanescit cohaesio vitalis partium mollium ac durarum, ipsorum ossium, et dolores summi castigant aegrotantem atque haemorrhagiae virium collapsum efficiunt, tandem subsequitur mors per exinanitionem et virium jacturam. Ulcerationis autem propagatio et omnium succorum depravatio facile eo explicantur, quod secretum ulceris acre in sanguinis cursum per venas et vasa lymphatica trahitur.

His de carcinomate generatim notatis ad ipsum carcinoma uteri aggrediamur, et accuratius describamus hunc morbum atrocissimum, veram quasi feminarum crucem, qui ab exiguo exoriens aegrotas saevis doloribus tormentisque gravissimis cruciatas et dilaceratas ad certam deducit mortem.

In morbo discernimus stadium scirrhosum et stadium carcinomatosum seu exulcerativum, quorum symptomata sunt et topicà et consensualia. Topica quidem referenda sunt ad uterum ipsum et ad partes ei vicinas, vesicam et rectum; consensualia autem aliorum, prae-

sertim reproductionis organorum affectionem et animi depressionem demonstrant, sunt etiam symptomata nervosa, hysteriae haud dissimilia.

Initio stadii scirrhosi foeminarum catamenia irregularia atque anomala fiunt, modo copiose, modo raro mittitur sanguis, vel muco commixtus vel spissus et rubicundus, vel foetidus atque dissolutus. Interdum quoque menstruatio regularis est, et non impedita. Semper autem apparet fluor albus, pertinax et copiosus, una cum eo aegrotae dolores leviter urentes, sed intermittentes aut remittentes, nec rheumaticis dissimiles in pelvi et regione sacrali sentiunt, qui secundum nervi ischiadici decursum usque ad fossam poplitaeam sese extendunt, et fluore albo cessante aut majores fiunt, aut omnino remittunt. Interdum etiam haemorrhagiae crebriores et regulae nulli subjectae affligunt aegrotas. A coitu nunc doloroso, quia penis partes attingit malo correptas, abhorrent foeminae et si conceperunt, facillime abortant.

Exploratione per vaginam invenimus portionem vaginalem aut ex parte aut omnino induratam atque dolorificam, orificium uteri sublatum et paene attingendum. Uterus etiam tumefactus et ex pelvi minore in majorem elatus per abdominis integumenta tactu animadverti potest. Quamquam plerumque in portione vaginali sedet carcinoma, tamen nonnunquam in uteri corpore et fundo crescit; de ejus autem sede certiores nos facit exploratio per rectum, per quod tumorem durum et circumscriptum et dolorosum discernimus. Omnes hae molestiae fere semper per tempus aliquod negliguntur. Sed mox

augentur dolores, qui nunc premunt in gremium versus eodem fere modo, quo polypis aut prolapsu uteri efficiuntur; vel urent vel pungunt in pelvi praecipue noctu. Portio enim vaginalis durior fit et nodosa, et quasi incisa, orificium uteri non rimam ostentat, sed formam rotundam aut inaequalem accipit, ejusque labia valde intumescunt et se revolvunt. Sentiunt etiam aegrotae gravitatem quandam in pelvi, itaque putant, uterum prolapsum esse, et explorationem, quam antea denegabant, libenter concedunt.

Vesica et intestinum rectum morbo corripiuntur; illa enim ita afficitur, ut aegrae aut incontinentia urinae, aut stranguria, aut dysuria, aut ischuria torqueantur; recti vero functiones ita irritantur, ut excretio alvi vel retardetur, vel diarrhoea cum tenesmo oboriatur, et quam maxime aegrotas debilitet. Quorum malorum causa est uterus tumefactus et depravatus, qui interdum etiam se reclinat aut inclinat, et ita premit vesicam et rectam, ut aegrotae pruritu ani intolerabili incastigentur.

Tum etiam propter sympathiam ventriculi functio impeditur, appetitus ciborum cessat, digestio, assimilatio et totius corporis nutritus perturbatur; magna aëris copia in intestinis producitur, quae ructum et flatum efficit. Quibus ex causis jam nunc exoritur cachexia illa cancrosa, quae in stadio sequenti carcinomatoso ad summum pervenit gradum.

Denique morosae sunt aegrotantes, libidinosae et iracundae, atque valde deplorant calamitates suas, quamquam tristem earum exitum neque sciunt, neque credere

possunt. Etiam nodo et globulo hysterico corripiuntur, qui tam ipsas, quam medicum fallunt.

Si hoc stadium per tempus aliquod incertum magna symptomatum oscillatione perduravit, intrat semper stadium carcinomatosum, in quo malum horribile forsitan diu neglectum omnino omitti nequit.

In hoc stadio menstruatio cessat et haemorrhagiae vasorum corrosione creatae, copiose atque irregulariter fluunt. Et si per breve tempus intermittunt, foeminae idcirco spem convalescentiae capiunt; redeunt autem illarum prodromi, aut haemorrhagiae ipsae jam auctae, et omnem spem laetam adimunt. Fluor albus sese commutat in defluxum ichoris cadaverose foetidi, cujus foetor omnia penetrat. Color quidem ejus et consistentia maxime variat, fere semper autem tam acre est effluvium, ut labia pudenda et crurum facies externa excorientur. Dolores in dies accrescunt, magis jam in gremium versus premunt, sensusque abdominis repleti ingravescunt, et ut dicunt aegrotantes, tales dolores sentiunt, quales carbo ardens in pelvi positus efficiat. Dolores in regione sacrali quoque ad eum perveniunt gradum, ut claudicent foeminae et manu, quam in latus ponere solent, non auxiliante inter claudicandum vehementiores percipiant dolores. Accedunt capitis dolores, et tormina et spasmi membrorum, qui aegras impediunt, quominus noctu requiescere possint.

Si per vaginam exploramus, portionem vaginalem totam vel salte ex parte destructam invenimus, quamquam portio vaginalis etiam incolumis servata est, si carcinoma in fundo aut corpore uteri crescit. Orificium

uteri semper patet, ejusque labia valde tumefacta et revoluta sunt. In hujus carcinomatosi stadii principio ulcus exigui tantum ambitus apparet, dum partes adjacentes, vel tota fere portio vaginalis indurata est; sensim autem ulcus se extendit, et tum non nisi singulos locos induratos deprehendimus. Si quidem partes ulcerosas digito attingimus, non nisi levem dolorem aegrotis movemus, partium autem induratarum contactus dolores provocat acerbos.

Nonnunquam ex ulceribus, vel ex orificio uteri aperto excrescentia fungosa, brassicae oleraceae botryitide similia, pendent in vaginam, quorum nonnulla interdum una cum haemorrhagiis magnis ejiciuntur. Nova autem semper crescunt et totam denique implent vaginam. Quae quidem uteri carcinomatosi degenerationes per rectum satis explicari possunt.

Semper quoque vesica et intestinum rectum et alia organa vicina, uti colon et intestinum tenue, malo corripiuntur, eorumque tunicae ita perforantur, ut vagina commune fiat receptaculum urinae ac faecum, quae involuntarie effluunt et praeterea in labiis pudendis externis abscessus congestivos, quamquam raro construunt. Periosteum et ipsa ossa pelvis conficiuntur, nisi mors jam diu exspectata terribiles dolores et vitam aegrotarum assumit.

Si mala topica usque eo pervenerunt, valetudinem universalem vel graviter debilitatam, vel omnino deletam esse suspicari possumus, atque hanc re vera pessimam esse palam jam ex specie externa aegrotantium apparet. Color enim faciei coriaceus, aut biliosus con-

spicitur, oculi sunt languidi et splendore privati, tam labia, quam tunica mucosa cavitatis oris pallida et plumbea redduntur, linguae mucro ruber et dolorosus, in cute arida invenimus rhagades dolorificas, et haud raro pruritus intolerabilis totam occupat corporis superficiem. Varices in cruribus in dies crescunt et propagant se in partes genitales externas atque in vaginam et rectum, et alias molestias aegrotis afferunt.

Ventriculi functio, jam antea irritata, nunc omnino depravatur; ciborum taedium capit aegras, ac si comederunt, quamquam nutrimenta blanda sumpserant, exoritur emesis, qua initio emittuntur ingesta, dein autem fluidum quoddam aquosum et acidum. Cum reliqua etiam organa, quae corpus nutriunt, nondum possint functionem exsequi, totum corpus et mirum in modum femora macescunt. Subinde febris hectica aegrotas miserabiles corripit, quae celerrime vires consumit. Oedemate extremitatum in dies aucto, decubitu in osse sacro, aut in regione trochanterum majorum exorto cum colliquationibus et convulsionibus, quae totum corpus conquassant, ingruit mors; nisi jam prius haemorrhagia copiosissima subito adducta erat.

His de carcinomatis uteri stadiis expositis nunc de malis, quae cum eo se jungunt, vel eo efficiuntur, pauca afferenda sunt. Secundum regulam quidem carcinoma uteri tamquam malum primitivum et unicum est in toto organismo, nonnunquam autem ad id accedit carcinoma mammarum, ovariorum, peritonaei, hepatis, ventriculi, aut osteomalacia. Quae combinationes ex cachexia, seu dyscrasia cancrosa explicantur.

Maximi vero momenti sunt inflammationes peritonaei, quas saepissime comitantur carcinomatis stadia evolutaria ejusque metamorphoses incitant, et incipientes aut ex pelvi, aut ex regione abdominis hypogastrica ad totum peritonaeum transire solent.

Cum cadaverum sectionem instituere mihi non licuerit, afferam ea, quae Rokitansky dicit de hac re notatu dignissima: »Man hat höchst selten Gelegenheit, den Krebs in den ersten Stadien seiner Entwickelung, seiner Crudität an der Leiche zu untersuchen; nach einigen wenigen Beobachtungen findet man bei fibrösem Krebse in dem Gewebe der Vaginalportion, bei einer sorgsamen Untersuchung, eine von diesem differente, weissliche, sich in der verschiedensten Richtung durchkreuzende, dichte Faserung, in deren sehr kleinen Interstitien eine blass gelbröthliche, oder gräulich durchscheinende Substanz lagert. Diese Aftermasse ist ohne deutliche Gränze in das Uterinalgewebe eingeschlossen, sie hat eine verschiedene Ausdehnung; hie und da ist sie in grösserer Menge angehäuft und veranlasst hierdurch mit der Vergrösserung der Vaginalportion zugleich die hökkerige, unebene Beschaffenheit und die bekannte beträchtliche Resistenz beim Befühlen. Der Medullar-Krebs erscheint ursprünglich als eine Infiltration der Vaginalportion mit einer weissen, derben, knorplig-speckigen oder lockern, speckig-markigen, encephaloiden Substanz, in der die Uterinalfaser verschwindet, die in sofern sie sich hie und da mehr anhäuft, mit der Vergrösserung eine knotig unebene Beschaffenheit und eine derb elastische Resistenz der Vaginalportion verleihet. Es ist

nur höchst selten, dass der Krebs in Form selbstständiger runder Aftergebilde im Uterus vorkommt. Bei dieser krebsigen Entartung erreicht nur der untere Abschnitt des Uterus, insbesondere bei eingeleiteter Metamorphose des Krebses und damit zugleich angefachter Neubildung, zumal als Medullarkrebs eine sehr beträchtliche und rasche Vergrösserung. Endlich entwickelt sich auf die gewöhnliche Weise ein calloses oder lockeres schwammig-zottiges, eine höchst stinkende grünlich bräunliche Jauche und Blut ergiessendes Geschwür, dessen Umsichgreifen in der Regel eine fortschreitend zunehmende krebsige Infiltration begleitet. Durch die Schwellung der Vaginalportion und der fungösen Wucherungen wird nicht selten der canalis cervicis obturirt und dadurch um so eher eine Erweiterung des Uterinalcavums veranlasst, je reichlicher hierbei die Secretion eines verschieden gearteten Schleimes daselbst ist.

Die krebsige Entartung beschränkt sich am Uterus auf die Vaginalportion und den cervix, und zwar sehr oft mit einer für diese Beziehung sehr bezeichnende Weise und Schärfe; jedoch kommen auch Ausnahmen hiervon genug vor, indem die Krebswucherung, zumal während einer bereits eingeleiteten ulcerativen Destruction am Muttermunde, — und zwar zuweilen sehr rasch — sich auf das corpus uteri, ja bis auf den Uterinalfundus ausbreitet! In der entgegengesetzten Richtung greift sie auf die Vagina über und wird zum Scheidenkrebse. Nach andern Richtungen wird das Rectum, die Harnblase, das Zell- und Fettgewebe im Beckenraume, die Beinhaut u. s. w. der Sitz der krebsigen Degenera-

tion, und der krebsige Uterus hierdurch in der Beckenhöhle fixirt, ja endlich unterliegt auch das Peritonaeum, es entstehen auf ihm und in seinem Gewebe krebsige Gebilde von verschiedener Art und es wird insbesondere von wuchernden Medullarmassen durchbohrt.

Nach denselben Richtungen hin breitet sich die krebsige Jauchung aus; in seltenen Fällen wird der Uterus zum grössten Theil, ja bis auf den Fundus zerstört, nach abwärts unterliegt die Scheide, bald vorwiegend an der vorderrn, bald an der hinteren Wand, bald gleichmässig an beiden, bis nahe an dem Scheideneingang der Destruction, sie greift weiter in die entarteten anstossenden Wände des Rectum, der Harnblase und bringt gemeinhin weite Communikationen ihrer Höhlungen mit dem ursprünglichen Jauchecavum (ulceröse Cloaken) zu Stande. Endlich breitet sie sich in Form von Sinus in der übrigen die Beckenhöhle ausfüllenden Krebsmasse bis an die Beckenknochen aus und so sieht man endlich ein weites, die Stelle des grössten Theils des Uterus und der Vaginalportion einnehmendes, in die Höhle des Rektum und der Harnblase weit klaffendes, nach oben von dem Uterinalfundus, dem damit verwachsenen Rektum und Blasenscheitel, so wie dem angelötheten Coecum und Dünndarm verschlossenes, ja endlich in die Peritonealhöhle, oder die letztgenannten Darmparthien durchbohrendes, eine mit Faecalstoff, Harn etc. vermischte Krebsjauche, nekrotisirte Krebsportionen führendes, an seinen Wandungen fungös wucherndes Jauchecavum.«

DIAGNOSIS.

Initio carcinoma uteri tam ab aegrotis, quam a medicis non animadvertitur, vel negligitur, vel habetur pro intumescentia uteri benigna haemorrhoidali, aut chronica inflammatoria. Quamquam hae degenerationes easdem fere, vel similes afferunt molestias, quae carcinomate incipiente apparent et functionem uteri valde turbant, tamen non adsunt dolores illi carcinomati proprii, qui e regione sacrali exorti, in femora usque ad fossam poplitaeam descendunt. Praeterea alia discrimina inter carcinoma et illas intumescentias intercedunt. In uteri enim intumescentia benigna haemorrhoidali exploratio per vaginam nos docet, uterum totum aequaliter tumefactum ac sensibilem omniumque partium calorem auctum esse. Ubi inflammatio chronica intumescentiam effecit, hunc invenimus statum: initio quidem tam tenero sensu instructae sunt partes malo correptae, ut earum tactus dolores magnos ac per tempus aliquod perdurantes proferat; postea autem ille sensus interit, quum chronica inflammatio uteri exstinguatur, et nunc exsudationes lymphae plasticae tumescentiam omnium uteri partium efficiant. Idem fere est dicendum de intumescentia, atque de induratione colli uteri. Symptomata autem indurationis colli uteri, quam exsudationes efficiunt, haud raro carcinoma simulant; attamen diagnosis tam ex causa occasionali indurationis, quam vaginae exploratione constituitur, qua nunquam peculiarem degenerationem carcinomatosam deprehendimus, nec portionem vaginalem nodosam et quasi incisam, nec orificium uteri distortum, nec labia uteri revoluta inve-

nimus. Porro medicamentis resolventibus diminuitur induratio, nunquam autem carcinoma. Interdum etiam speculum vaginae adhiberi potest, per quod partes degeneratas ipsas inspicere et idcirco de mali natura melius judicare possumus.

Utrum retroversus sit, an antroversus uterus, partim ex orificii situ perverso, partim exploratione recti perspicimus.

Vix cum graviditate carcinoma potest confundi. Nam regulare foetus incrementum et uteri dilatatio, portionis vaginalis ac mammarum indoles omnem delent carcinomatis suspicionem. Sed foemina, cujus uterus carcinomatosus est, concipere potest, uti Boer (1) et Schmitt (2) narrant, et tum conceptio diagnosin, si non antea jam confirmata erat, difficiliorem reddit. Plerumque tales foeminae abortant, et perspicuam causam occasionalem abortus offerre non possunt.

Etiam pro polypo uteri duci potest carcinoma, sed errorem repellit conditio portionis vaginalis, quae nec sensibilis, nec indurata, nec cancrose degenerata est, sed justo mollior, quae evanescit, si polypus ex orificio uteri procrescit; atque huc accedit, ut polypus digitis attactus sanguinem non mittat, nec ichoris illius cadaverose foetidi defluxus animadvertatur.

---

(1) Boer; Abhandlungen und Versuche geburtshülflichen Inhalts. Bd. II. Th. IV. pag. 21.

(2) Schmitt, Erfahrungsresultate über die Exploration bei dem Scirrhus und Krebse und andern krankhaften Zuständen des Uterus, in den Jahrbüchern für deutsche Medicin und Chirurgie v. Harles. Erlangen 1813. Bd. I. Heft 1.

Deinde exulcerationes syphiliticae et excrescentia condylomatosa portionis vaginalis in errorem inducerent, nisi ex peculiari forma, et ex aliis affectionibus syphiliticis cum iis conjunctis facile cognoscerentur. Simul enim apparent faucium et narium ulcera, dolores osteocopi nocturni, tophi syphilitici et eruptiones syphiliticae in cute.

Si denique alia carcinomata in corpore deteguntur, de uteri carcinomate dubitari non potest.

AETIOLOGIA.

Quamquam novissimis quidem temporibus carcinoma uteri saepissime et diligentissime observarunt medici, tamen de origine et causis hujus mali tam crebri (1), quam atrocis perpauca tantum explorata sunt. Fere omnes scriptores in exponenda aetiologia carcinomatis naturam neglexerunt et solam opinionem propriam ita secuti sunt, ut eorum aetiologia ad omnes quoque ceteras uteri degenerationes pertineat. Prae ceteris obtinendum est, carcinoma esse pseudo-organo-genesin malignam,

---

(1) Tanchou in statisticis disquisitionibus suis indicat nobis ex foeminis, quae Parisiis partium genitalium morbis infectae erant, numerum earum, quae habuerunt carcinoma uteri, hoc modo:

Anno	1830	inter	351	foeminas	183	carcinoma	uteri	habuerunt,
-	1831	-	379	-	246	-	-	-
-	1832	-	396	-	230	-	-	-
-	1833	-	498	-	250	-	-	-
-	1834	-	436	-	304	-	-	-
-	1835	-	508	-	285	-	-	-

Statistische Forschungen über die Frauenzimmerkrankheiten von S. Tanchou: in C. Ch. Schmidt Jahrbücher der in- und ausländischen gesammten Medicin. Jahrg. 1839 Bd. XVI, pag. 309.

quae originem ducat ex vegetatione et topica et universali morbose mutata. Omnia igitur, quae tam depravatam vegetationem proferre possunt, causae carcinomatis habeantur necesse est, inter quas distinguimus ex una parte causas internas praedisponentes, ex altera causas externas seu occasionales. Priusquam singulas explicamus, illorum sententia commemoranda esse videtur, qui putant, carcinoma ichore ab alio in alium hominem transferri posse, quae sententia ab omni parte rejicienda est. Nam non solum viri ex coitu cum foemina, quae uteri carcinomate affecta est, integri evadunt, sed etiam incisurae, in quas ichor carcinomatosus impositus erat, in modum simplicis ulceris carcinomate nullo crescente sanatae sunt. Haec experimenta, quae Alibert et Langenbeck instituerunt, alium effectum procreare non poterant, quia cellulae carcinomatis elementariae, per quas carcinoma vegetat, in ichore demortuae sunt atque destructae, itaque novam vegetationem incitare non possunt. Alia autem experimenta praeclara, quae idem Langenbeck fecit (1), in eventum alium duxerunt. Injecit enim ille vir experientissimus in venam canis cruralem dimidiam unciam succi carcinomatosi recenter expressi, cui inerant cellulae carcinomatis incolumes atque intactae, et cane mortuo et obducto carcinomata in ejus pulmonibus invenit. Hac ratione confirmata est sententia, quam jam antea viri docti defenderant, ex qua cellulae carcinomatosae per venas corrosas atque non collapsas in sanguinis circulum receptae in venarum truncis, aut alio quo organo carcinoma proferre possunt.

---

(1) C. Ch. Schmidt Jahrbücher der in- und ausländischen gesammten Medicin. Bd. 25.

His ita expositis, ad causas ipsas carcinomatis uteri aggrediamur. In universum admonendum est, omnes foeminas quidem, ut per se patet, nisi utero careant, ad hunc morbum praedispositas esse. Potissimum autem in periodo involutionis seu decrepiditatis, in qua vegetatione uteri interitura alii quoque pseudorganismi, uti steatomata, tumores fibrosi ac polypi saepius procreantur. Quae cum ita sint, plerumque foeminae annos quadraginta aut quinquaginta natae, nonnunquam autem etiam minores natu, in hunc morbum incidunt, uti investigationes statisticae a Tanchou editae comprobant. Rationem, qua numerus earum foeminarum, quae carcinomate uteri affectae sunt, attingit numerum earum, quae alio partium genitalium morbo corripiuntur, hunc in modum pro aetatis diversitate definivit:

Usque ad annum 20 invenit inter 25 aegrotas nullum carcinoma,

annis	20 — 30	inter	528	aegrotas	86	carcinomata
-	30 — 40	-	591	-	212	-
-	40 — 50	-	539	-	402	-
-	50 — 60	-	428	-	353	-
-	60 — 70	-	302	-	242	-
-	70 — 80	-	189	-	147	-
-	80 — 90	-	71	-	58	-

Simul ex his colligere licet, et ante pubertatem et paulo post foeminas in carcinoma non incidere.

Hereditas quaedam morbi, quae quidem a multis viris negatur, haud dubie defendenda est, quae praedispositionem illam generalem adhuc auget. Compertum enim habemus, foeminas, quarum matres uteri

carcinomate aegrotarent, eodem morbo corripi. Carcinoma autem hic a matribus in filias quasi translatum esse ex analogia aliorum morborum deduci potest. Nam scrophulosin et tuberculosin, quibus est similitudo quaedam cum carcinomate, et a patre et a matre in liberos transire nemo negabit.

Quod jam attinet ad causas occasionales, quae ad illam praedispositionem accedunt, hae ex parte ex educatione corporis et animi harum foeminarum ducendae sunt. Nam si nimis negligitur corporis educatio, animi autem cultura et acceleratur et depravatur, ita ut phantasia libidinose excitata puellae versentur in imaginibus voluptariis, et incidunt in vitium masturbationis, quae est gravissima carcinomatis causa, quia congestiones continuas movet ad partes genitales internas illasque laedit. Ex qua quidem causa carcinoma uteri in virginibus monalibus et aliis non nuptis provectioris aetatis saepissime invenitur. Quum coitus frequentissime exercitus, quem conceptio quacunque libet causa non sequatur, idem efficiat, foeminae, quae illum passae sunt, saepe carcinomate afficiuntur. Ad eandem causam id quoque referendum esse mihi videtur, quod pater meus (1) uxores, quarum mariti spirituosorum usu frequentiori dediti erant, uteri carcinomate correptas observavit. Praeterea omnia, quae uterum insultant, origini carcinomatis favere possunt; inter haec numeramus crebri abortus, operationes obstetricias rudes, irritationes pessario male adaptato

---

(1) Ansichten über die Ursachen des Carcinoma uteri vom Dr. L. Schrader in Rusts Magazin für die gesammte Heilkunde. 1833 Bd. XV. p. 289.

effectas. Dein si infanti mammas suas non praebet mater, in ipsius utero, quum requiescere non possit, saepius producitur carcinoma. Porro dyscrasiae universales, quae totum corpus debilitant, uti scrophulosis, syphilis, arthritis, nec non frequens ac creber usus ciborum ac potuum irritantium et relaxantium, tum vehementiores animi perturbationes, verbi causa aerumna, moeror et aegritudo, haud dubie ad carcinoma efficiendum maxime valent. Denique mamma cancrosa exstirpata nonnunquam exoritur carcinoma per metaschematismum.

Creberrime invenitur carcinoma uteri inter incolas magnarum urbium earumque regionum vicinarum, rarius autem inter foeminas rusticas. Notatu etiam dignum est, Dewees in America uteri carcinoma rarissime observasse.

Morbi decursus semper chronicus est, et per annos complures protractus.

EXITUS MORBI ET PROGNOSIS.

Sane rarissime uteri carcinoma prorsus interit, et valetudo completa plane restituitur; siquidem carcinoma portionem vaginalem et cervicem uteri non excedit, atque in orificio uteri interno definitur, cicatrice infundibuliformi curatur ulcus cancrosum.

Plerumque et fere semper carcinoma aegrotis infert mortem, quae quamquam exstirpatione retardata, tamen regeneratione ac propagatione carcinomatis adducitur.

Itaque pessima tantum prognosis statui potest.

THERAPIA.

Cum carcinoma uteri, si revera ortum est, nullis remediis repelli possit, imprimis eniti debemus, ut impediamus, quominus malum nanciscatur. Itaque in foeminas a teneris cura prophylactica, quam El. ab Siebold optime commendat, applicanda est.

Magna quidem exstat remediorum anticancrosorum copia, nullum autem sanationem efficit. In therapia igitur carcinomatis uteri tantummodo generaliora curationis principia sequimur, quae remedia aut pharmaceutica aut chirurgica postulant. Remedia quidem chirurgica sunt exstirpatio totius uteri, aut ejus colli. Amputatio colli uteri, quam Osiander (1) primus ineunte nostro saeculo saepius executus est, modo adhiberi potest, si uteri collum solum affectum est, si exulceratio non propagata et cachexia cancrosa adhuc levis est. Si vero portio vaginalis non est sola pars malo correpta, sed in fundo aut corpore uteri carcinoma luxuriatur, totus uterus exstirpandus. Quum autem carcinoma, si aegrotantes a medico auxilium petunt, fere semper ad id stadium progressum sit, in quo vicinae partes vario gradu jam degeneratae sunt, rarissime tantum talem operationem suscipi licet, si quidem inutilis esset; ad quod accedit ipsa operationis difficultas et periculum. Ceterum totum uterum salva aegrotae vita exstirpari posse, jam diu comprobatum est. Nam Wrisberg (1) refert nobis,

---

(1) Göttingische gelehrte Anzeigen 1808 Stück 130 pag. 1289.

(2) Commentatio de uteri mox post partum naturalem resectione non lethali. Gotting. 1787.

puerperae alicujus uterum imperitia obstetricis inversum et in lucem productum esse, quem quum tumorem putasset, cultro abscidisset. Simile quid memoriae tradidit Dr. Bernhard (1). Zacutus etiam Lusitanus (2), Viardel (3), Magnus Masson (4), Joannes Chemel (5), Georg. Mueller (6), Alex. Hunter (7), Wolf (8), Joannes Clarke (9), Volkamer (10), Faivre (11), Laumonier (12), Weber (13) uterum feliciter resecuerunt. Alias ejusmodi resectiones referunt Schenk (14), Rousset (15), Moinichen (16), Slevogt (17), Dietrich (18), Zwinger (19), Caval-

---

(1) E. v. Siebold Lucina. B. I. St. 3. S. 401.

(2) Süe, Geschichte der Geburtshülfe Bd. II. pag. 142.

(3) pag. 180. (4) pag. 212. (5) pag. 304.

(6) Verhandling. der Hollandschen Maatshcappy. Bd. XII. Harlem 1770. Süe l. c. pag. 451.

(7) Miscell. Nat. Cur. Dec. II. An. IX. obs. 94. pag. 161.

(8) Journal der ausländischen medicin. Litt. Bd. 1. pag. 252.

(9) Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauch für practische Aerzte XXIV. B. 1stes Stück. S. 59.

(10) Süe l. c. Bd. II. pag. 177.

(11) Journal de médicine. Tom. LXVIII. August. pag. 195.

(12) In Fourcroy Médec. éclairée. Par. 1792. Tom. IV.

(13) Beiträge zur Natur und Heilkunde v. Friedreich und Hesselbach. Würzburg 1825 I. Bd.

(14) Obs. Med. Lib. IV. obs. CCCIII.

(15) Hysterotomotocia. Basil. 1688. pag. 100.

(16) Obs. med. chirurg. c. annotat. Lanzoni. Dresd. 1691. obs. IV. pag. 17.

(17) Dissert. de utero per sarcoma ex corpore extracto, postmodum resecto. Jenae 1700.

(18) Rede von einem wahren Vorfalle und glücklicher Absetzung der Gebärmutter. Regensburg 1745.

(19) Neue Sammlung für Wundärzte. St. 3. pag. 213.

lini (20). Uterum carcinomatosum jam anno MDXL exstirpavit Andreas a Cruce (21), anno MDCCCXXII Sauter (22), anno MDCCLXXXIII Marschal (23) et anno MDCCCXIII Langenbeck (24). Etiam A. El. de Siebold (25) et Ed. de Siebold (26) mentionem faciunt uteri resectionum cum lethali autem earum exitu. Quum singulas hujus operationis methodos Godofredus de Siebold (27) accuratissime descripserit, non opus est, ut verba de illis faciamus.

Pharmaceuticorum autem medicamentorum alia adhiberi solent, ne carcinoma celeriter in stadium exulcerativum transeat; alia vero applicantur, ut dolores ac molestiae aegrotarum mitigentur. Prioris generis remedium est carbo animalis, quam ob rem F. A. Weise eum tamquam optimum remedium commendavit, et Busch ei assentitur, qui tamen vult, ut majores doses adhibeantur, atque hac in re, uti per se patet, rectius vidit quam ille. Quamquam igitur carbonis usus utilissimus est, tamen ei alia remedia per certa intervalla substituenda sunt, quia carbo diutius adhibitus facile corrum-

---

(20) De felici in quibusdam animantibus uteri extractione. Flor. 1768.

(21) Süe l. c. p. 69.

(22) pag. 100.

(23) Salzburger. medic. chirurg. Zeitung 1794. I. S. 136.

(24) Neue Bibliothek für die Chirurg. und Ophthalmologie v. C. J. M. Langenbeck Bd. I. St. 3. pag. 461.

(25) Beschreibung einer vollkommenen Exstirpation der scirrhösen, nicht prolabirten Gebärmutter v. A. El. von Siebold. Frakfrt. a. m. 1824.

(26) Dissertatio de scirrho et carcinomate uteri, adjectis tribus totius uteri exstirpatonis observationibus. Berolini 1826.

(27) Versuch einer neuen Methode die scirrhöse oder carcinomatöse Gebärmutter mit und ohne Vorfall auszurotten. Leipz. 1828.

pit digestionem, quae maxime servanda est, ne aegrotantium vires debilitentur. Hunc in finem maximam utilitatem praebet Calomel cum Opio.

Omnia reliqua remedia, quibus hoc in morbo utimur, debellant inflammationes topicas, quae saepius intrant; aut diminuunt congestiones sanguinis ad partes vitio correptas. Inter quae primum obtinent locum sanguinis missiones locales, quae aut per cucurbitas cruentas in osse sacro aut per hirudines ad anum et ad labia pudenda externa et crurum faciem internam instituuntur. Etiam sanguinis missiones universales necessariae esse possunt, si aegrotantes plethoricae sunt, aut si inflammatio augetur. Praeterea adhibenda sunt remedia laxantia, praecipue salia neutra, Magnesia sulphurica, Natron sulphuricum, Cremor tartari, cum extractis resolventibus conjuncta, v. g. extracto Graminis, Saponariae, Taraxaci, et aliis ejusdem generis, quorum dosis augenda est, quum non duae aut tres excretiones alvi per diem efficiuntur, et diminuenda, si diarrhoea profusa provocatur. Saepius autem obstructio alvi durat pertinaciter, tum remediis jam dictis, Tr. Rhei aquosa, vel Senna vel Jalappa adjungenda est. Diaeta parca et blanda, animi et corporis quiete et maxima munditie cum his medicamentis conjuncta per aliquod tempus carcinomatis transitus in stadium exulcerativum retineri potest. In hoc stadio ipso nulla alia nisi cura symptomatica instituatur necesse est, quae partim remedia illa, de quibus supra jam diximus, partim autem narcoticorum usum postulat, ut dolores intolerabiles tollantur. Quem in finem fere omnia narcotica commendari solent atque inprimis aqua Laurocerasi, Conium, Belladonna,

Hyoscyamus, Stramonium, sed nullum Opio et Morphio acetico efficacius adhibetur, quod ultimum quasi refugium nobis relinquitur. Contra ventriculi affectionem consensualem ordinantur remedia antispastica et diaeta apta, et si emesis fluidi acidi adest, antacida. Haemorrhagiae remediis stypticis topicis sistendae sunt. Effluvium denique cadaverose foetidum corrigendum est injectionibus Aquae chloratae, aut acidi pyrolignosi, aut acetici; sed maxime cavendum, dosis horum medicaminum sit justo major, ne irritentur partes affectae et topicum illud malum augeatur, exitusque lethalis acceleretur.

LITTERATURA.

Joh. Müller, über den feinen Bau und die Formen der krankhaften Geschwülste. Berlin, 1838.
El. v. Siebold, über den Gebärmutterkrebs, dessen Entstehung und Verhütung. Berlin, 1824.
El. v. Siebold, Handbuch zur Erkenntniss und Heilung der Frauenzimmerkrankheiten. Frfrt. a. M. 1821.
P. Dewees, die Krankheiten des Weibes. Aus dem Englischen übersetzt v. Dr. A. Moser. Berl. 1837.
Ch. M. Clarke, über die Krankheiten des Weibes, aus dem Englischen von Heineken. Hannover, 1818.
Fr. A. Weise, über Zurückbildung der Scirrrhen. Leipzig, 1829.
C. Wenzel, über die Krankh. des Uterus. Mainz, 1816.
F. I. Beyerle, über den Krebs der Gebärm. Manh. 1817.
G. Meier, Handbuch der wundärztl. Klinik. Berl. 1841.
Jos. Chelius, Handb. der Chirurgie. Heidelb. 1841.
C. Rokitansky, Handbuch der speciellen pathologischen Anatomie. Wien 1842.
Diet. Wilh. Hein. Busch, die geburtshülfliche Klinik an der Königl. Fr. Wilh. Universit. zu Berlin. Berl. 1837.

VITA.

Ego, Carolus Guilelmus Schrader, confessioni evangelicae addictus, Quedlinburgi, oppido provinciae Saxonis, natus sum die VI. mens. Maji, a. MDCCCXVIII. patre Andrea Ludovico Schrader, medicinae doctore et medico forensi circuli Ascherslebiensis, et matre Ludovica e gente Ebert, quos parentes carissimos atque dilectissimos ad hunc usque diem incolumes veneror.

Primis litterarum rudimentis in schola municipali imbutum, anno MDCCCXXVIII Joannes Sachse, Rector gymnasii patriae urbis, me in numerum discipulorum recepit. Dein directores Ferdinandus Ranke et Franciscus Richter, illius successores, una cum ceteris Gymnasii praeceptoribus humanissime me ita instruxerunt, ut anno MDCCCXXXVIII maturitatis testimonium adipiscerer et universitatem adire mihi liceret. Itaque Berolinum petii mense Majo ejusdem anni et ab Ill. Boeckh, t. t. rectore magnifico, inter cives academicos receptus et ab Ill. Wagner, t. t. gratiosi medicorum ordinis decano maxime spectabili, medicinae studiosis adscriptus, per quadriennium hisce interfui scholis philosophicis: Ill. Gabler de logice; Ill. Steffens de psychologia; Cel. Dowe de physice; Ill. Kunth de botanice et demonstrationibus botanicis; Ill. Schultz de historia naturali medica; Ill. Mitscherlich de chemia; Cel. Ideler de anthropologia medica. Tum autem, quod attinet ad disciplinas medicas, encyclopaediam et methodologiam medicinae Ill. Hecker; materiam medicam

Exp. Mitscherlich; pathologiam et therapiam specialem Ill. Casper; chirurgiam et fracturas et luxationes Cel. Kluge; prolapsus et hernias Ill. beat. Rust me docuerunt. Osteologiam et syndesmologiam Ill. Schlemm; anatomiam universalem et anatomiam organorum sensuum, anatomiam comparatam, physiologiam hominis specialem et physiologiam generationis Ill. Müller; artem obstetriciam Ill. Busch mihi demonstrarunt. De fontibus soteriis disserentem audivi Ill. beat. Osann. Ill. Müller una cum Ill. Schlemm arte cadavera rite secandi me instruxerunt.

Deinde exercitationes clinicas, chirurgicas et ophthalmiatricas, quas Ill. beat. de Graefe, Ill. Juengken, Ill. Dieffenbach, et medicas, quas Ill. Schoenlein, Cel. Trüstedt, Cel. Wolff, atque obstetricias, quas Ill. Busch moderabantur, frequentavi.

Privatissime Exp. Angelstein me exercuit in operationibus ophthalmiatricis.

Quibus omnibus viris, optime de me meritis, gratias ago quam maximas semperque habebo.

Tentaminibus, tam philosophico quam medico, nec non examine rigoroso rite superatis, nihil obfuturum spero, quominus dissertatione et thesibus exhibitis palamque defensis, summos in medicina et chirurgia honores gratiosa facultas medica in me conferat.

THESES.

1. Amaurosis non est morbus, sed morbi symptoma.
2. Ronchus crepitans non est pneumoniae signum pathognomonicum.
3. Hydrocelis operatio per multas ac parvas incisiones omnino est abjicienda.
4. Typho abdominali magna est cum exanthematibus acutis similitudo.